AD ECCLESIASTICAM

DE SATISFACTIONE CHRISTI DOCTRINAM

OBSERVATIONES

ALIQUOT DOGMATICAE.

SCRIPSIT

FRANCISCUS ARMINIUS REINHOLDUS FRANK,

THEOL. ET PHIL. DR. THEOL. PROF. P. O.

ERLANGAE,

PROSTAT APUD TH. BLAESING.

MDCCCLIX.

TYPIS JUNGE ET FILII.

Ad ecclesiasticam de satisfactione Christi doctrinam observationes aliquot dogmaticae.

Nuper quum ex lite Osiandrica quid incrementi cepisset ecclesiastica de satisfactione Christi doctrina ostenderemus [1], in eo eramus toti, ut fines professionis symbolicae, quippe qui ad arbitrium confessorum pacti non essent, secundum controversiae illius tenorem accurate circumscriberemus. Quare et iis obviam euntes qui nullam rati ecclesiae exstare de satisfactione Christi vicaria pronuntiationem extenuare professionem conantur et iis repugnantes qui dogmatica varii generis enuntiata vel etiam commenta immiscere professioni ethicis potissimum rationibus fundatae videntur, primum quidem usquequaque vicariam ab ecclesia doceri Christi obedientiam exposuimus, ita quidem ut neque actio neque passio Christi sed obedientia legis utramque complectens vere sit

1) Ad ecclesiasticam de satisfactione Christi doctrinam quid redundaverit ex lite Osiandrica. Erlangae MDCCCLIX.

vicaria, deinde vero quid non doceat quidve respuat professionis tenor deduximus atque subiecimus. Neque suspicamur fore ut prorsus fugiat aliquem, quomodo quae in fine illius commentationis, exterminantes nonnulla ex argumento et ambitu doctrinae symbolicae, negavimus, cum reliqua nostra doctrinae ecclesiasticae expositione cohaereant. Verum tamen ne quo sensu accipienda sint verba nostra ambigatur simulque dogmatica ne desideretur placitorum nostrorum explanatio, hac nobis oblata occasione aliquot ad ecclesiasticam de satisfactione Christi doctrinam a nobis erutam dogmaticas iuvabit adiicere observationes.

Legem divinam immotam atque immutabilem esse homo peccator persentiscens eademque lege divina convictus omni ex parte sibi cum Deo reconciliando satisfaciendum esse legi ideoque a Christo esse satisfactum exploratum habet. Fit autem satis obedientia ea, quam lex eaque violata ab homine eoque peccatore efflagitat.

Hinc si quis penitius voluerit inquirere in rationem satisfactionis Christi, ei ante omnia haec talis lex i. e. non in se illa spectata verum lex peccatori imposita quid postulet indagandum est, neque vero in universum quid postulet sed quid requirat reconciliationis et salutis fine praeposito. Rem historice aggrediamur. Duplicem esse Melanchthon asserens [2])

2) Cf. Postilla Melanchthoniana, C. R. XXIV, 384, 385.

legis obligationem eamque vel ad obedientiam vel ad poenam possit videri adversari Flacio, qui et malorum, quae lex minata sit, patientia et factorum, lex quae mandaverit, praestatione obligationem legis, qua obstrictus sit homo peccator, absolvi iudicet[3]. Eadem alicui videri possit intercedere discrepantia inter priores fidei evangelicae professiones Formulamque Concordiae, quarum illae quidem morte Christi ab aeterna morte nos esse liberatos perhibent[4], haec vero toti et integrae Christi obedientiae per totam vitam et agendo et patiendo patri praestitae liberationem illam deberi docet. Verum tamen doctrinam de satisfactione Christi ecclesiasticam non recte perspicies nisi nullam horum placitorum esse repugnantiam intellexeris[5]. Duplex est enim quaestionis ratio, ad quam necesse fuit alio responderi modo ab Melanchthone alio a Flacio. Nimirum legis divinae natura, quippe quae expressa sit Dei mundum gubernantis atque ordinantis voluntas, fert postulatque, ut nec frangi queat nec abrogari, verum usque maneat sancta, integra, efficax, implenda. Quippe lege morali eam dicimus constitui rationem, quae Deum inter mundi creatorem gubernatoremque et creaturas

3) Flacius von der Gerechtigkeit wider Osiandrum D 2 a, cf. Thomasius von der Versöhnung p. 58. 4) Apol. p. 193, 43; 195, 50. 5) Idem docet Thomasius, Christi Person und Werk, III, 1. p. 301, quocum in re ipsa consentientes dissentimus in explicanda.

intellectu ac voluntate praeditas intercedens tolli nequit nisi simul sublata creatoris essentia, qua factum est, ut talis nec vero alia sit eius cum creatura ratio. Sicut vero Deus mundum procreans absolutam sibique sufficientem dicendus est conservasse essentiam, ideoque et sua causa creasse et sibi et amore sui commotus, ita quae positis quibusvis creaturarum generibus absolutam omnimodo sustentat, obtinet, conservat essentiam voluntas divina legis numquam non ratae semperque actuosae naturam iudicanda est induisse. Hinc maiestatem Dei infinitam nec circumscriptam sed absolutam ne ulla unquam creatura laedat; verum ut propter Deum illa Deique in gloriam aut sponte vivat aut vivere cogatur, lege divina sancitur et efficitur. Deo vivere homo lege divina iussus simulatque sibi vivere conatur eadem illico lege perdomatur cogiturque, ut quamvis sibi vivere nisus nihilo secius vel invitus Deo vivat Deique gloriae inserviat. Quamobrem Deum poenas creaturae adversanti infligentem non minus asseveramus exhibere essentiam quam exserit illam vel omnipotens vel omnipraesens vel absolute bonus. Nimirum virtus puniendi, qua violatae legis auctoritatem peccatore invito Deus reparat atque restituit, pari modo in attributorum Dei numero ponenda est atque aseitas et potentia et iustitia, nec potest magis se abdicare poenarum inflictione summum numen, quam unquam sese abdicavit ceteris, quae essentiam feruntur constituere divinam, Dei absoluti attributis. Deus

creaturam in se rebellem poenis afficiens atque coercens non magis potest cessare, quam potest legi derogare vel voluntati suae vel essentiae. Data creatura contumaci Deus non puniens i. e. legem i. e. suam maiestatem supremam et absolutam non sustentans, ratamque exhibens non datur. Quibus ratiocinationis nostrae iactis fundamentis legem divinam dicimus usquequaque esse implendam, vel etiam, id quod eodem redit, legi divinae, quam non potest Deus ratam et validam non sustinere, nunquam non a creatura satisfieri. Sequitur deinceps, posita creaturae libertate utcunque donata, ut impleatur lex aut obtemperantis obedientia aut rebellantis coercitione. Impletio legi violatae debita atque praestanda vocatur expiatio. Lex satisfactionem sibi ab creatura obedientiam detrectante extorquens poena peccatori inflicta expiatur sive impletur. Quamobrem recte Melanchthon legem ait obligare vel ad obedientiam vel ad poenam. Itaque homo in Deum seditiosus poenas legi debens satisfacit legi punitus, nec aliud, legem ut impleat, legi debet nisi poenarum solutionem. Quare Lutherus quum alicubi [6]) de perennitate atque immutabilitate legis disserens in aeternum negat legem abrogari docens manere vel implendam in damnatis vel impletam in beatis, nos eandem nobis senten-

6) Disputat. contra Antinomos II, 47 (opp. lat. Jen. T. I, fol. 556 b): "Lex nunquam in aeternum tollitur, sed manebit vel implenda in damnatis vel impleta in beatis".

tiam vindicantes nostrumque in usum convertentes in omnem aeternitatem dicimus impleri legem in damnatis poenas improbitatis aeternas solventibus.

Itaque prorsus facimus cum Melanchthone. Neque tamen differt ille a Flacio. Etenim alia est quaestio, in universum quid a peccatore debeatur legi usquequaque implendae, alia legi quid debeatur omnimodo implendae a peccatore salvando. Vide quomodo expietur lex in foro civili. Namque lex civilis certis illa finibus communionis vitae externae circumscripta factorumque cum istius communionis institutis convenientiam imperans a praevaricatore expiatur vel impletur externarum poenarum externa solutione. Utique fallitur, si quis poenitentiam ait requiri ad satisfactionem legi civili praestandam. Quo enuntiato perperam immiscetur legi civili lex moralis. Neque enim manu mittere et exsolvere posset lex civilis praevaricatorem poena data, nisi eadem illa vindicta de peccatore sumta esset expiata atque impleta. Lege autem morali transgressor legis civilis adhuc constrictus tenetur si data transgressionis poena facinoris eum non poeniteat. Etenim legis moralis, qua sibi morem geri ab homine vitamque institui voluntas divina iubet, longe alia est ratio. Non potest ea manu mittere peccatorem et in libertatem vindicare, quamdiu poenam ille solvens punienti adversatur. Quippe manifestatio Dei punientis est manifestatio voluntatis Dei absolutae ideoque sanctae, quacum ut libere suaque sponte peccator consentiat, lege

mandatur. Agnosces cur erronea sit theologorum veterum opinio infinitam hominis peccatoris culpam hac de causa asserere solitorum, quia ex violatione maiestatis divinae infinitae sit contracta. Quasi vero in infinita maiestatis divinae natura ulla insit causa, cur in infinitum reus sit, qui illam laesit! Quasi ullum in scriptura sacra eiusmodi doctrinae deprehendere liceat vestigium! Profecto autem dubitari nequit, quin infinita hominum peccatorum sit culpa, quoniam voluntas hominis a Dei voluntate declinans morteque peccati poena a Deo separata non potest sua ipsius vi ac potestate Deo non amplius adversari seque ipsa cum Deo reconciliare. Quod si fingamus fieri posse, homo a Deo reprobatus inque mortem detrusus hac ipsa in mortis a Deo seiunctione deberet Deo coniunctus esse libera cum Deo deserente ac separante consensione. Deum suum deberet compellare eum, qui deseruit, respuit, reprobavit. Sed voluntas a Deo reprobata atque seiuncta non modo procul est a Deo, verum etiam, quae est eius natura, adversari voluntati divinae numquam desinit. Itaque infinitam docemus peccatoris culpam, quamvis abhorrentes a factitia illa infinitae coram Deo infinito culpae, qualem veteres ecclesiae nostrae theologi informant, deductione, neque plus Deo ab hominibus lapsis debere reddi quam abstulerint cum Anselmo pronunciamus, sed impetum legis expletionem sive satisfactionem sive expiationem sibi a peccatore extorquentis i. e. poenam prorsus dicimus convenire

cum illo impetu, quo homo peccator maiestatem divinam violavit atque offendit.

Jam vero Flacium haudquaquam dissidere ab Melanchthone quo luculentius appareat, recolligamus atque disponamus sententiarum a nobis propositarum seriem. "Lex obligat vel ad obedientiam vel ad poenam". Quare quum in infinitum salvatur qui obedientia satisfecit obligationi legis; contra qui poena eaque sola satisfacit legi damnatur ille in aeternum. Potest quidem aliquis in foro civili sic dare transgressionis poenam, ut expiata lege ipse salvetur: verum tamen coram tribunali divinae legis non nisi ita satisfactio legi debita praestatur, ut in infinitum peccator expians legem in aeternum peccato, culpa, damnatione maneat obstrictus. Melanchthonem secuti lex quid requirat in se spectata, ut satisfiat sibi utcunque, indagavimus: Flacium sequentes id agimus, ut quid damnationem evasuro, legem ut impleat, ferendum agendumque sit dispiciamus. Profecto autem ubi salutem spectamus hominibus lapsis recuperandam, non possumus in priore illa quaestione, debemus vero consistere in altera. Atque prorsus consentire Melanchthonem hac quidem in quaestione cum Flacio inde licet perspicere, quod 'potentiam creatam' negat 'solam' potuisse sustinere iram Dei et in tanta magnitudine dolorum Deo vere tribuere laudem iustitiae'. Legi quidem, si illam respiciamus solam, satisfit poena neque aliud quidquam ad expiandam transgressionem requiritur: sed "in poena", inquit,

'quae debet esse placatio (nos diceremus, quae de peccatore sumta non in aeternum damnet peccatorem), oportet punienti tribui laudem iustitiae' [7]).

Consensu Flacii cum Melanchthone collustrato vix operae pretium est uberioribus comprobare argumentis, neque Kargium [8]) neque Piscatorem [9]), qui legem cum Melanchthone vel ad obedientiam vel ad poenam obligare perhibentes hinc Christum sibi implevisse legem, poenam in se recepisse pro nobis opinati sunt, ad Philippum merito potuisse provocare. Namque ut taceamus, eam placationis notionem, quam vidimus supra Melanchthonem docere, prorsus repugnare tali obedientiae, quam suapte Iesus natura patri debuisset — etenim in illa, quam Melanchthon Christo tribuit, praedicatione iustitiae Dei punientis integra continetur obedientia activa —: ipse Philippus alio loco [10]) certis ac distinctis verbis non sibi sed nobis Christum legi fuisse subiectum testatur. Quippe de circumcisione disserens 'voluit', inquit, (Christus) 'subiectus esse legi. Quod etiam tota eius vita testatur. Non tenebatur ipse lege illa: si quis non fuerit circumcisus, eradicabitur. . . Sed sicut universaliter voluit subiectus esse legi, sic etiam circumcidi se voluit. Non intelligenda est subiectio sub legem civiliter tantum, quod voluerit esse obsequens

7) Enarr. symb. Nic. C. R. XXIII, 339. 8) Cf. Walchii Religionsstreitigkeiten der luth. Kirche IV, 360—64. 9) Cf. Disput. Giess. t. III. disp. XV, p. 434 sq. 10) C. R. XXIV, 241.

civis in externa politia et hierarchia istius populi, sed de singulari beneficio pertinente ad nos in hac persona, quae non erat debitrix. Ipse subiecit se legi i. e. implet legem pro nobis, videlicet non tantum officiis legalibus et obedientia sua, quae est plena ac perfecta, sed etiam recipiendo in se maledictionem et poenam, quam nos eramus meriti, ad placandum nobis patrem et ad nos liberandos a maledictione legis.' Quare etiam secundum Melanchthonem 'utrumque nobis donatur, obedientia ipsius (Christi) et satisfactio. Sumus iusti propter ipsum, imputata nobis ipsius iustitia, quam praestitit in agendo et patiendo'[11].

Melanchthonem ignorasse vel respuisse doctrinam de obedientia Christi activa, qui haecce eius verba secum reputaverit memineritque etiam secundum Formulam Concordiae actionis et passionis Christi unam esse obedientiam uni eidemque legi divinae violatae praestitam[12]), asseverare vix credo audebit. Verum enim vero satisfactionis Christi vicariae notionem, haec si recte sunt disputata, iam paulo accuratius atque distinctius licet definire.

Neque enim vices illae, quibus Christus patri obediens pro nobis functus est, sic possunt concipi, ut quod nobis peccatoribus, si nulla esset redemptio, patiendum fuisset, ab Christo sustentum atque exant-

11) C. R. XXIV, 216. 12) Cf. nostra dissert. sup. laud. p. 46.

latum esse doceamus. Qua opinione concepta in ipsam, quam supra evicimus, offenderemus ecclesiasticam de satisfactione Christi doctrinam, usquequaque vicariam esse mediatoris obedientiam. Nam quae sustinenda sunt peccatori reprobato supplicia, non absolvuntur illa nisi patiendo. Nec vero ut hac posita sententia altera obedientiae Christi pars locum habeat, id solum veremur, sed utique concedendum est, hoc modo activam Christi obedientiam omnino exstingui et abrogari. Verum qui vicariam cum scriptura sacra ac professione ecclesiastica obtinere conatur Christi satisfactionem, caveat ille ne ad arbitrium de opere Christi meritorio, quod patiendo peregit, demat aliquid atque abscindat neve exposuisse ac stabilisse doctrinam ecclesiae sibi videatur, nisi utrique muneris Christi parti explicandae satisfecerit. Haec sane nobis causa fuit, cur vicario Christi redemptoris munere acerrume ac strictissume obtento, non possemus non asserere, tantum abesse Formula Concordiae ut poenas inferorum in se suscepisse Christum doceat ut secum ipsa dissentire existumanda esset, tale quid si pronuntiaret [13]). Eorum enim secundum F. C. Christus hominum personas sustinuit vicesque implevit, qui legi satisfacturi eaque satisfactione ad vitam transducendi aeternam agendo pati patiendoque agere debebant idem quod Christus vitam iis aeternam recuperans pro iis eorumque loco

---

13) Ib. p. 51.

agendo passus est et patiendo peregit. Non dicimus, Christum tum pertulisse, quae peccatori reprobato perferenda sunt supplicia, tum implevisse, quae homini legis mandatis obtemperanti implenda sunt officia: etenim quum actio contineat liberam Christi insontis susceptionem passionis et passio consistat in actione patientiae malorum libere susceptorum, ita ut omne pondus momentumque passionis in libera illa Christi consentientis cum Dei iustitia passionis susceptione et actione positum sit, nos poenas inferorum Christum pertulisse effati mox ita nosmet ipsos de hac re explicare deberemus, ut supplicia inferorum, quarum haecce peculiaris ac propria est indoles, ut ab invitis Deoque adversantibus perferantur, a Christo sponte suscepta esse diceremus i. e. non esse perlata. Itaque consentientes cum veterum ecclesiae nostrae theologorum sententia, si mentem eorum respicias, non possumus quin doleamus, talem doctrinae formam usu theologico esse receptam, quae nec e scriptura s. deprompta nec libris ecclesiae symbolicis consentanea nec ad ipsam vicariae satisfactionis Christi doctrinam apta sit.

Probe intelligimus, qui fieri potuerit, ut practico et ascetico loquendi usu circumferretur ac foveretur haec de poenis inferorum in Christum translatis sententia. Nam qui permutationem personarum Christi et peccatoris sic fere factam esse fideles secum reputabant, ut onera peccator sua imponeret Christo Christusque sua ipsius iustitia imbueret peccato-

ram; si ad onera tantum, a quibus nos liberavit Christus ipse suscipiens ea, respicerent, facillime eam informare opinionem poterant, ipsam aeternam mortem, a qua nos sua Christus morte vindicavit, ab illo fuisse susceptam. Sic conscientia perterrefacta non ad onera aliquando respiciens reprobo sustinenda, verum ad defectum sanctitatis legi quam deberet, omne in impletione legis activa ab redemptore perfecta consolationis momentum collocabit nec magis errabit activam a passiva separans obedientiam, quam erravit passivam nimis ab activa distrahens. Decet autem theologiam dogmaticam, ambiguitatem sermonis ex sententiarum, quae coniunctae certumque in ordinem dispositae bene habent, disiunctione oriundam vitare.

Itaque obedientia mediatoris, quae praeposito salutis fine legi utcunque implendae prorsus omnique ex parte nostra gratia et nostro loco satisfecit, hanc ob causam est vicaria, quia per illam quaecunque lex violata ab homine salutis cupido postulare et requirere posset, eadem praestatione, quam homo praestare deberet, soluta, impleta, perfecta sunt. Hominem vero, qui praestare deberet, non dicimus singularem, sed genus humanum peccatis obrutum.

Monuimus in commentatione nostra supra laudata[14]), 'nihil docere F. C., qui fieri potuerit, ut quam obedientiam Christus mediator legi Israelitarum agendo et patiendo praestitit, eadem prorsus esset

14) Ib. p. 50.

illa, qualem homo lapsus isque damnationem evasurus legi in universum spectatae et agendo et patiendo praestare debuisset'. Neque nos quidem arbitramur, aliquem vel dubitare de iusto professionis hac in quaestione silentio vel percunctari de sententiae illius vi ac potestate. Cohaeret autem, id quod facile intelligitur, hocce silentium cum altero illo reticente nobis, 'quonam pacto quem suapte persona exantlavit Christus Diaboli, Israelitarum, Ethnicorum impetum conveniat cum illo irae divinae impetu, quo genus humanum peccatis obrutum iustitia Dei perculit'[15].

Apparet enim posse nobis ab iis, qui vicariam fuisse Christi mediatoris obedientiam infitiantur, illam obiici diversitatem, quae, quum peculiarem Christus ac singularem legi Israelitarum obedientiam praestiterit nec non peculiares ac singulares perpessus sit ab isto populo reliquisque adversariis totam per vitam sibi obviis dolores et cruciatus, inter actionem passionemque Christi eaque omnia intercedat, quae homini legem ratione salutifera expiaturo agendo et patiendo fuerunt praestanda. Neque ludere verbis nobis quidem animus est, quum usquequaque vicariam fuisse Christi obedientiam dicimus. Nam sicut consolationis conscientiarum summopere interest, ut Christum nulla in re nostram non egisse personam coram Deo legislatore certum exploratumque sit, ita

15) Ib. p. 51.

scientiae dogmaticae quam maxume refert, ut quomodo totam per vitam ipsaque in morte generis humani vices sustinuerit mediator perspicere conemur. Qua in re id potissumum agendum nobis esse videtur, ut ad unitatem legis ut expressae voluntatis divinae adcommodemus atque aptemus unitatem peccati a genere humano commissi, unitatem reatus, cui obnoxium factum est lapsum genus, denique unitatem poenae lege impositae obedientiaeque legi debitae. Nimirum qui in mandatorum legis varietate, qui in diversa peccatorum forma, qui in multiplici reatus obstrictione, qui in discretis suppliciorum generibus, qui in singulari obedientiae obligatione animos figunt satisfactionem Christi indagaturi, non possunt ii quonam pacto illa generis humani peccatorum, culpae, poenarum, obedientiae debitae summa conveniat cum praestationis Christi summa eruere. Imo quemadmodum non de singulis laborantes hominibus verum de integro genere humano quid homini lapso per Christum obtigerit inquirimus, ita varia quaevis diversaque et discreta a principiis repetenda et ad principiorum unitatem sunt reducenda.

Praeivit autem nobis ipsa scriptura s. peccatum docens in mundum intrasse mortemque peccato, ἓν παράπτωμα et κατάκριμα componens cum ἑνὶ δικαιώματι, atque τὴν παρακοὴν τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, qua peccatores sunt constituti οἱ πολλοί, compensatam esse dicens διὰ τῆς ὑπακοῆς τοῦ ἑνός[16]). Unum est

16) Rom. 5, 12, 18, 19.

contumaciae et seditionis humani generis peccatum, una Christi restituentis ac reparantis iustitiam obedientia. Peccati enim quum haec sit peculiaris ratio et natura, ut finem vitae humanae in Deo repositum invertat seque sui finem esse hominem mentiatur, una ubivis est substantia et potentia, qua infecti sunt atque irretiti quicunque exstant improbi. Unus est omnium peccatorum in maiestatem Dei sacrosanctam impetus unaque maiestatis divinae legem sustinentis peccatorum repressio. Morte separantur a Deo quiqui maiestatem suprematumque Dei violantes sibi nec Deo vivere apud se constituerunt Deoque vivere iusto damnati coguntur. Illa vero actuosa maiestatis divinae a peccatore violatae manifestatio, quam irae nomine appellatam reprimere dicimus atque debellare rebellionem iniuriamque maiestati illatam, in se complectitur substantiam atque summam cuiusvis generis poenarum, coercitionum, suppliciorum, quibus seditiosam prolem iustitia divina percellit suamque in ditionem redigit. Aeternam mortem vel damnationem hinc conficitur nil aliud esse nisi eandem repressionem relectionemque, qua qui perdita passiva conversionis aptitudine in aeternum fugere Deum nituntur, eundem ut inviti petant, iustitiae quippe Dei maiestatisque illaesae testes, coguntur. Itaque Christus mediator omnium peccatorum expers non modo illos peccati cuiusvis impetus in sua ipsius persona recipiens, quum nemo alius iis resistere potuisset, debellavit nostra vice peccatum generis potens humani,

verum etiam in se recepit repressionem irae divinae, qua eadem atque impetus vi adversarii legem impugnantes profligantur. Quippe mediatorem cognovimus Christum intercedere inter humanum genus Deum oppugnans Deumque oppugnatores repellentem, itaque ab altera parte peccati humani ab altera irae divinae impetum sustinere. Ita autem Christus impetus peccati in se factos sustentat, ut nullae prorsus eius reliquantur vires, quarum non invictum sese victorem mediator exhibuerit, atque ita divinae irae impetum generi humano usque irruentem perpetitur, ut nullum illas peccatorum laesiones retorquentem divinae iustitiae ictum non persentiat.

Obedientiam nos quidem ex professionis ecclesiasticae mente actuosam illam vocamus et peccati et irae divinae patientiam eamque perhibemus utramque esse vicariam. Namque id ipsum debebat legi divinae homo peccator Deo reconciliandus, ut contra peccati potentiam sese sustentans libere simul suaque sponte Deoque iusto assentiens cuncta in se reciperet irae divinae onera atque supplicia. Quo facto qui peccator est obstrictus peccatoris reatu et poena, simul desinit esse peccator reatus poenaeque expers. Hominem autem lapsum quippe regno peccati dudum iam subiectum neutrum posse efficere non est quod demonstremus.

Jam vero ex iis, quae hactenus exposuimus, duplicem licebit facere conclusionem. Et primum qui

dem si quis forte interrogaverit, solutio poenae, quam nos legi debebamus, a Christo facta quid rationis habeat ad poenitentiam, qualem agere solent fideles, dubitari nequit, quin similitudinem aliquam eius solutionis cum poenitentiae hominis christiani indole liceat deprehendere. Quae solutio tantum abest, ut desinat esse poenae perpessio si poenitentiae induat similitudinem, ut huic conferri non posset nisi simul esset punitio. Namque eadem lege et ut poenis peccatori impositis mediator sese subiiciat et ut liberam Deoque punienti assentientem praebeat perpessionis obedientiam sancitur. Hominis autem christiani poenitentia, in qua utrumque cernitur, in illa, ut ita dicam, Christi poenitentia nititur, neque posset homo a Deo convertente castigatus Deo dare iustitiae laudem nisi eiusdem iustitiae plene et libere et sponte in Christo esse satisfactum cognitum haberet. Deinde vero, id quod altero ex antecedentibus deducimus loco, nullam prorsus invenire potuimus causam, cur si debellatam atque devictam esse a Christo mediatore diximus peccati in Christum grassantis ideoque Diaboli tenebrarum regis potentiam, hinc forte negemus, eam simul a Christo exantlatam esse Dei iram, quae generi humano peccatis obstricto imminebat. Imo vidimus vicariam Christi obedientiam futuram non fuisse nisi utriusque, et Diaboli et Dei, impetum in se sustinuisset, nec mediatoris eum acturum fuisse personam, nisi et tentationis diabolicae et irae divinae flammas sanguine suo exstinxisset.

Verum etiamsi devictione peccati irae poenaeque divinae sustentationem handquaquam tolli atque excludi certum sit, tamen caveamus, ne seorsum ponamus, quae intima necessitudine inter se iuncta sunt. Etenim irae divinae efficientiam scrutantes nonne iisdem peccatorum et Diaboli impetu malis circumventum ac depressum fuisse Christum dicemus, quibus quin castigentur lege Dei irascentis homines peccatores non dubitamus? Improbamus nos quidem philosophicam eorum opinionem, qui nulla ab ipso Deo peccatoribus infligi mala autumantes, peccata ipsa suas sibi poenas fieri arbitrantur. Neque vero hinc sequitur, ut peccata, peccatores, Diabolus Dei non sint ministri in sumendis de peccatore poenis, quippe iustitiae divinae supplicia irroganti apparentes. Itaque ipsa eademque mala, quibus ut obrueretur Christus ira divina postulabat quorumque summa morte continetur, Christo sunt imposita a Diabolo Dei apparitore eorumque omnium, quibus plectuntur homines, suppliciorum quasi dispensatore. Sane enim contumaciae diabolicae lapsusque humani indolem ac naturam dignoscentes etiam poenarum utrobique sustentarum rationem non possumus non dignoscere. Nempe non ita dignoscimus, ut levitatis quasi lapsus humani habita ratione infinitam in se, modo supra exposito, hominum culpam poenamque futuram fuisse negemus, gravitatis autem seditionis diabolicae respectu asseramus Diaboli supplicium non esse posse

non infinitum [17]). Imo utramque et Diaboli et hominis transgressionem mereri, ut in aeternum a facie Dei reiiciantur, cum ecclesia pronuntiantes: discrimen inter utriusque punitionem diverso dicimus constitui loco qui Diabolo et homini in rerum a Deo creatarum universitate obtigit. Hominis enim peccato Satanae sese mancipantis ea est Dei punitio, ut detur Satanae, cuius se in ditionem ille transdidit, intercessio. Diabolum autem, qui nulla intercedente tentatoris ope a Deo defecerit, medio non interposito ira Dei prosternit. Quare Diaboli dominatione, cuius mancipium factus est homo, iudicamus contineri atque circumscribi malorum sive vindictae Dei succensentis summam. Quippe Diabolum dicimus secundum epistolam ad Hebraeos [18]) τὸν τὸ κράτος ἔχοντα τοῦ θανάτου vidimusque supra morte contineri malorum, mercedis peccatorum, summam. Itaque Christus insidiis Diaboli circumventus eiusque crudelitati proiectus non modo eum expertus est, qui omnibus peccatorum quasi copiis sanctum in mediatorem saeviebat, verum etiam qui mortis habebat imperium, supplicii videlicet, quod minatus est Deus hominum praevaricationi. Nec aliquam huius supplicii partem

17) Quare assentimur Thomasio, Christi Person und Werk III, 1, 134, adn., quamquam rem ipsam illis, quae Th. laudat, Lutheri verbis partim explicatam esse censemus. 18) Hebr. 2, 14.

Christo fuisse remissam vel minutam opinamur, ut qui etiam sui a Deo desertionem, humana usus conscientia suique sibi ut Dei ex humanae mentis circumscriptione conscius, moribundus sit expertus.

Hinc vicariam fuisse illam Christi obedientiam contendentes quae haec talia pateretur, quidni dicamus mediatorem ei fuisse obnoxium irae divinae quae generi humano imminebat? vel eorum malorum summam percepisse, quae ut peccatorum merita generi humano incumbebant? [19]) Negamus quippe haec asseverantes Dei iram Christum non persensisse, qui quum universam irae molem mundo imminentem sustentaverit quo tandem modo ipse non persenserit? Nolumus dispesci atque inter se opponi, quae connectenda esse atque inter se respondere re ipsa adducimur.

Eruisse iam nobis videmur ac significasse, quonam pacto quem suapte persona sustinuit Christus Diaboli, Israelitarum, Ethnicorum impetum conveniat cum illo irae divinae impetu, quo genus humanum peccatis obrutum iustitia Dei percullit. Etenim sicuti Deo iustum in supplicium mediatorem danti apparuit Diabolus, ita Diabolo ministrarunt quicunque contumeliis, vinculis, plagis, nece Christum afficiebant. Morte per Diabolum eiusque ministros exstinctus plenum exhausit Christus irae divinae poculum, a Deo desertus neque deserens eum debella-

19) Contra Thomasium III, 1, 135.

vit Satanam victurum, si deseruisset, satisfecit irae, reconciliavit genus humanum. Quae quidem omnia quum insons peccatique expers Christus perpessus sit, legi morem gerens Israelitarum, cui inde ab ortu humano se subiecit, ei simul subditus est Dei voluntati lege patefactae, quae ut morte puniretur genus humanum peccatis inquinatum praescripserat. Obedivit legi omnia per vitam suam eius mandata observans, obedivit eidem diras mortis peccatoribus imprecanti, obedivit sponte pro nobis nostraque vice factus maledictum, γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ. Legi satisfaciens Israelitarum, quae peculiarem eamque ad singulares istius populi rationes adcommodatam flagitabat obedientiam, simul satisfecit legi universali sive morali, cuius illa non est nisi expressior quaedam illiusque populi rationibus apta delineatio atque descriptio. Christus quum omnium evasurus redemptor, et Judaeorum et Ethnicorum, agendo patiendoque legi illorum sponte se subiiceret, horum quoque legi universali in illa contentae satisfecit, omnium sic revera factus redemptor, mediator, intercessor. Quare si memineris, quae supra de legis natura et origine disseruimus, non credo ambiges, qui fieri potuerit, ut quam obedientiam Christus mediator legi Israelitarum agendo et patiendo praestitit, eadem prorsus esset illa, quam homo lapsus isque damnationem evasurus legi in universum spectatae et agendo et patiendo praestare debebat'.